C

EX GALENO.

Fœniculum lac procreat. Suffusis auxiliatur. Vrinas menseśq; cit. In condimentis assiduus Anethi usus, Fœniculi uerò & in obsonijs. Apud nos in hoc reponunt, non secus ac Pyrethrum & Terebinthum condientes, ut in totum annum usui sit, quemadmodum & cepas & rapas & alia huiusmodi quædam in solo aceto, alia in oxhalme asseruantes.

EX PLINIO.

Ad scorpionum ictus & serpentium, semine in uino poto ualet. Succus & auribus instillatur, uermiculosq; in his necat. Idipsum condimentis propè omnibus inseritur. Oxyporis etiam aptissimè. Quin & crustis subditur panis. Semen stomachum dissolutum adstringit. Nauseam ex aqua tritum sedat. Pulmonibus & iecinoribus laudatissimum. Ventrem sistit cum modicè sumitur, urinam excitat, & tormina mitigat decoctum, lactisq; defectu potum mammas replet. Radix cum ptisana pota renes purgat, siue decocto succo, siue semine sumpto. Prodest & hydropicis radix ex uino cocta: item conuulsis. Illinuntur folia tumoribus ardentibus ex aceto. Calculos uesicæ pellunt. Genituræ abundantiam quoquo modo hausta facit. Verendis amicissimum, siue ad fouendum radice cum uino cocta, siue contrita in oleo illitum. Multi tumoribus & sugillatis cum cera illinunt. Et radice in succo uel cum melle contra canis morsum utuntur. Et contra multipedẽ ex uino.

EX SYMEONE SETHI.

Lac procreat, & suffusis remedio est. Vrinam cit, & menses ducit.

DE MELANTHIO. CAP. CXCI.

D

NOMINA.

Nigella. *Melanthion unde dictum.*

ΜΕΛΑΝΘΙΟΝ Græcis, Papauer nigrum, Nigella & Gith Latinis dicitur. Officinæ omnes Nigellam appellant. Melanthion autem & Nigella, à nigro seminis colore hæc herba hauddubiè dicta est.

GENERA.

Etsi apud Dioscoridem aliosq; ueteres una duntaxat Nigellæ species reperiatur, nobis tamen domesticas & hortenses tres uidere contigit, quarum duæ quidem habent semina nigra, tertia uerò subflauum. Inter eas quæ habent semina nigra, primã schwartz Kommich germanicè appellauimus, alteram autem schwartz Coriander/quod folia eius Coriandri foliis non dissimilia sint. Tertia, quod ad folia & flores attinet, primæ per omnia similis est, in semine tantum quod flauescit, ut diximus, diuersa. Herbarij huius temporis Nigellam citrinam nominant. Præter has tres iam cõmemoratas est quarta, quæ syluestris Nigella dicitur, quod scilicet sua sponte in aruis nascatur. Germanis wild schwartzer Coriander nominatur. Videtur autem esse potius tertium genus Cumini syluestris.

FORMA.

Melanthion. Melanthion frutex est pusillus, ramulis tenuibus, altitudiue palmorum duorum uel amplior, foliis paruis Senetionis herbæ similibus, multo tamen exilioribus, capitulo in cacumine, exiguo ceu Papaueris, oblongo, intercursantibus interne distinctionibus loculosis quinque aut sex, in summitate extrinsecus corniculatis, quibus semen nigrum, acre, odoratum includitur. Syluestre alteri hortensi ferè simile est, folia siquidem anethi habet, flores primo similes, nisi quod colore sint elegantiores. Capitulum planè Aquileiæ respondet, atque in se semina nigra & odorata continet.

LOCVS.

MELANTHIVM HORTENSE PRIMVM.